

est ex singulis defectibus, unaquæque circumstantia etiamsi sola sit, simpliciter confert malitiam: tamen quia bonum est ex integra causa, licet singulæ circumstantiæ tribuant suam convenientiam, tamen una separata ab aliis, non habet rationem honestatis, seu bonitatis simpliciter. Quod vero de confessione dicebatur, respondetur primo non spectare ad præsentem quæstionem, quia homo non debet confiteri bonitatem, vel malitiam objectivam actus, sed formalem: fieri autem potest ut quamvis in objecto sit bonitas composita et divisibilis, in actu sit formalis bonitas indivisibilis, ut infra videbimus: et idem posset quis opinari de malitia; licet non satis consequenter. Et ideo addo ulterius; si plures malæ circumstantiæ diversarum rationum tales sint, ut unaquæque sufficiat per se ad dandam actui malitiam mortalem, concedendam esse sequelam, scilicet omnes necessario esse confitendas, sive dicantur mutantem speciem, sive notabiliter aggravantes: ut si quis consecraret hostiam in fermentato pane, et in privata domo, absque vestibus sacris, omnes has circumstantias confiteri tenetur, quia revera singulæ conferunt malitiam mortalem: si autem circumstantia non confert mortalem malitiam, non est necesse illam explicare, quod verum est etiamsi integram speciem addat, vel mutet, ut fortasse est in peccato facto in die festo.

21. *Regula D. Thomæ quando ne circumstantia mutet speciem vel augeat præcedentem.* — Atque ex dictis in hoc dubio intelligitur optime quomodo sit applicanda ad malitiam, vel bonitatem objectivam regula quam D. Thomas tradit 1, 2, quæst. decima octava, art. 10 et 11, ad cognoscendum quando circumstantia addat speciem, vel tantum novum augmentum in eadem specie, nam si circumstantia in se talis est, ut per se considerata, et ratione sui det bonitatem, vel malitiam, etiamsi non sit adjuncta cum alia, tunc intelligitur dare, vel mutare speciem: si autem circumstantia ex se non sufficit ad dandam malitiam, vel bonitatem, sed solum ut adjuncta alteri, seu determinata ab altera, tunc non confert novam speciem, sed auget intra eandem. In qua regula hæc posterior pars est per se satis clara, ut patet in exemplis de intensione, et de multitudine quantitatis: et ratio est, quia hæc circumstantiæ secundum se non dicunt determinatum ordinem ad rationem, sed sunt veluti indifferentes, donec per alias determinantur. Prior vero pars ut sit universalis, sicut est intentio D. Thomæ, ut patet ex solutione argumen-

torum, articulo 11, et ex aliis locis supra citatis, primo intelligenda est de ordine unius circumstantiæ ad aliam, secundum rationis principia, et consequenter de separatione unius malitiæ, seu bonitatis ab alia secundum formalem rationem, non semper secundum rem, nam interdum accedere potest ut in aliquo actu semper in re ipsa una malitia supponat aliam, et nihilominus sumatur ex circumstantiis mutantibus speciem ut patet de adulterio, in quo injustitia semper supponit intemperantiam, et nihilominus sunt malitiæ speciei diversæ, quia et per principia diversæ rationis regulantur, qualia sunt non esse contractandam rem alienam invito domino, et vagum concubitum esse secundum rationem repugnantem speciei humanæ, et ita secundum formales rationes una est separabilis ab alia, cujus signum est, quia licet fingamus ob ignorantiam vitari malitiam intemperantiæ, semper maneret malitia injustitiæ. Secundo intelligenda est illa pars non solum de specie totali, sed etiam de partiali, quia ex circumstantiis variis possunt in eodem actu oriri diversæ malitiæ partiales, quarum una non habet respectum ad aliam, quod magis contingit in malitia, quam in bonitate, quia, ut supra tactum est, et explicat D. Thomas in 4, d. 16, q. tertia, a. secundo, quæstiuncula 3, ad 2. Quod si quis velit intelligere illam regulam de solis speciebus totalibus, oportet ut dicat primam circumstantiam quæ confert speciem bonitatis, vel malitiæ transire in rationem objecti primarii: cæteras vero quæ augent ut sic necessario supponere aliam, quæ dat speciem. Atque ita ex his omnibus constat quomodo ex omnibus generibus circumstantiarum oriatur bonitas, vel malitia objectiva: quod est principale hujus sectionis institutum.

22. *Quid de circumstantiis minuendis bonitatem, aut malitiam.* — Cur circumstantiæ aggravantes sint confitendæ, non minuendæ. — Solum posset quis interrogare cur nihil dicamus de circumstantiis quæ solent dici minuendæ intra eandem speciem. Respondetur, quia hæc circumstantiæ, præsertim sumptæ ex parte objecti proprie ac positive, nullæ sunt quæ minuant, sed tantum negative possunt dici minuere, quia si non adhibeantur, nihil conferunt. Quod sic explicatur, nam vel circumstantia minuens bonitatem tollit aliquid necessarium ad bonitatem simpliciter; et hæc vere non minuit, sed tollit bonitatem, et ponit malitiam; si vero tollit aliquid non necessarium ad bonum, sed conferens ad melius esse, sic nul-

lam bonitatem tollit, sed solum non dat quod posset conferre si adhiberetur, unde potius illa est negatio circumstantiæ; vel si dicatur circumstantia, est impertinens, quia nec confert bonitatem, nec malitiam. Et idem est proportionaliter de circumstantia, quæ dicitur minuere malitiam, quia si illa est circumstantia indifferens, nec minuit, nec auget; si est mala, semper dat aliquam malitiam, unde quantum est ex se auget: si vero est bona, non dat malitiam et fortasse impedit aliam circumstantiam, quæ illam daret, attamen non tollit aliquam malitiam, quam objectum et aliæ circumstantiæ darent: illa non existente: quia, ut sæpe dictum est, quilibet defectus confert totam malitiam quam potest conferre, etiamsi aliæ circumstantiæ videantur convenientes. Atque ex hac doctrina intelligitur ratio a priori, ob quam circumstantiæ aggravantes sint per se de necessitate confessionis, non vero illæ quæ dicuntur minuendæ, quia homo debet aperire in confessione malum quod fecit, non autem quod non fecit. Dico autem *per se*, quia si sit necessarium ad tollendam aliquam deceptionem, aut ne videatur confiteri plus quam fecit, poterit esse necessarium, sed per accidens.

23. *Ultima assertio.* — Ultimo dicendum, ex fine extrinseco et per accidens, qui solet dici finis operantis, nullam bonitatem, vel malitiam objectivam resultare in medio, seu objecto, quod ordinatur ad talem finem. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma, 1, 2, quæst. 20, articulo 1 et 2, ubi in hoc sensu dicit bonitatem quæ est in objecto, prius esse in actu exteriori, quam interiori: bonitatem autem sumptam ex fine prius esse in interiori, quam in exteriori, quia nimirum talis bonitas non præsupponitur in objecto, sed tantum per extrinsecam denominationem ad illud manat ex actu interiori voluntatis. Ratio autem hujus sumitur ex eodem D. Thoma 1, 2, quæst. decima octava, articulo sexto, quia finis ut finis non attingitur a potentia executiva, qualis est illa a qua procedunt actus exteriores, sed attingitur a voluntate, cujus est respicere finem ut objectum: ergo in actione exteriori secundum se, et antecedit voluntatem, nulla esse potest bonitas objectiva ex fine extrinseco, quia ut sic nullam habet habitudinem ad illum, ut exemplis etiam facile patet, nam elemosyna, præcisa relatione operantis, non habet honestatem religionis, aut pœnitentiæ.

24. *Instantia.* — Dices: Sicut voluntas ex objecto bona supponit in objecto honestatem, ita voluntas bona ex fine supponit hoc objec-

tum, scilicet ordinare hoc in illud, esse bonum: ergo etiam hic actus supponit bonitatem objectivam sicut ille. Respondetur, si *ordinare* sumatur *actualiter*, ut vox significat in rigore, non est bonum ut objectum, sed ut actus voluntatis, quia ordinare medium ad finem est proprius actus voluntatis eligentis; si autem sumatur aptitudinaliter, id est, *esse ordinabile*, sic nullam bonitatem dicit intrinsecam medio ut sic, sed tantum denominationem extrinsecam a fine in ratione appetibilis, et voluntate, potest unum ob aliud amare, vel eligere: in ipso autem medio solum dicit entitatem ejus, et virtutem fortasse, quam habet ad causandum hunc, vel illum effectum, quod totum in ratione appetibilis informatur a fine, ut dixi initio tractatus primi.

DISPUTATIO III.

DE FORMALI BONITATE ACTUS INTERIORIS VOLUNTATIS IN COMMUNI.

Divus Thomas in præsentia materia hunc servat ordinem, ut prius disputet in communi de actu humano ut abstrahit ab interno et externo, postea in particulari de interno, et deinde de externo: de bonitate autem et malitia, non separatim, sed promiscue tractat. Verum quod attinet ad bonitatem et malitiam moralem formalem, actus interior et exterior solum analogice conveniunt, ita ut interior intrinsece talis sit, exterior vero solum per denominationem extrinsecam ab interiori, et ideo sub hac ratione nihil fere dici potest quod sit utrique commune. Rursus bonitas et malitia habent modum valde diversum et in suo esse et in ratione, quia vel ab objecto, vel a fine desumuntur: ac denique cum opponantur sicut habitus et privatio, fere nihil habent commune, et cognitio habitus præsupponitur ad cognitionem privationis. Hac ergo de causa dicemus prius de bonitate actus interioris, postea de malitia, vel indifferentia utriusque, et de harum oppositione, principiis et causis, ac tandem omnia accommodabimus ad actus externos.

SECTIO I.

Utrum possit esse in hominis voluntate aliquis actus moraliter bonus absolute et simpliciter.

1. *Pars negativa hæreticorum.* — In hac re fuit hæresis Lutheri, omnes actiones hominis

esse peccata, quamvis fidelibus non imputentur ob finem : quem errorem secuti sunt Calvinus, et alii posteriores : neque multum ab eis discrepavit Joannes Hus, qui, art. 6, damnato in Concilio Constantiensi, sess. 55, dixit in homine existente in peccato omnes actus esse malos, in homine vero studioso esse bonos. De hac posteriori parte primus error Lutheri ortus ex duplici hæretico fundamento. Primum est quod tenemur in hac vita tanta perfectione diligere Deum, quanta diligibilis est ab homine in quocumque statu, juxta illud, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc. Secundus est, illo præcepto, *non concupisces*, prohibitam esse etiam sensibilem concupiscentiam, et omnes motus fomitis, quos dicit esse peccata, etiamsi maxime involuntarii sint : unde concludit omnem actum hominis esse malum, quia semper deest illi aliqua debita circumstantia, vel quia non procedit ex perfecto amore Dei, vel concupiscentia semper insurgit, et perfectionem operationis impedit : et in confirmationem adducit nonnulla Scripturæ testimonia, Isai. 6, 4 : *Sicut pannus menstruatus omnes justitiae nostrae* : Job., 9 : *Scio quod non justificabitur homo compositus Deo* ; ubi Gregorius : *Quidquid videmur habere justitiae, si ab interno arbitrio districte judicetur, vitium potius apparebit, quam meritum*. Quæ verba fere transcripsit Bernardus, serm. 10, *de Omnibus Sanctis*, et similia leguntur apud Augustinum, sermone 49, *de Tempore*, tractantem illud psalmi 142 : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. Unde idem Gregorius 35, *Moral.*, c. ult., satis obscure dicit *mala nostra esse pure mala, bona autem quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam posse*, ad quod facit illud psalm. 13 : *Non est qui faciat bonum*, et illud Genes. 6 : *Omnis caro corruerat viam suam : et non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est*.

2. Hæc quæstio duobus modis intelligi potest, uno absolute et præcise de actu voluntatis humanæ abstrahendo ab hoc, vel isto statu humanæ naturæ, et a viribus et auxiliis quibus operari potest : et in hoc sensu nulla est controversia etiam cum hæreticis, quin possit in homine esse actus simpliciter bonus : constat enim et nunc bene operari in patria, et in statu innocentiae potuisse etiam operari, et de Christi humanitate, id est multo certius : est etiam per se notum hominem esse capacem virtutis et vitii, quia hoc ipso quo est rationalis, potest cognoscere, et judicare quid sit conveniens juxta rationem rectam, et totum id

quod est necessarium ad honestatem actionis : et hoc ipso quo est liber, potest etiam velle, sicut etiam potest ab hoc deficere, et ideo male operari. Secundo modo potest quæstio hæc tractari in particulari de homine lapsa et infirmo per originale peccatum : quo sensu loquuntur prædicti hæretici, quorum sententia etiam in hoc sensu est manifeste hæretica, sed quia impugnari latius solet in materia de Gratia, pauca breviter adducam, omittens quæstiones aliorum locorum.

3. *Catholica pars affirmativa comprobatur ex Scriptura*. — Primo ergo constat esse nunc in filiis Adæ et viatoribus bona opera, ad Philippenses 1 : *Qui cepit in vobis opus bonum*, etc., cap. 2 : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate*, etc., 1, ad Corinth. 7 : *Qui uxorem ducit, non peccat : qui autem servat virginitatem, melius facit*, Marci 14 : *Bonum opus operata est in me*, et Job sæpe repetitur, *In his non peccavit Job*, ut notavit Gregorius, 2, *Moral.*, c. 15. Hinc etiam in Scriptura præcipiuntur, et consuluntur, et laudantur humana opera eorundem hominum : non autem præcipiuntur, nec laudantur mala opera : unde Matth. 15, ait Christus Dominus, *sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona*, etc., et 1, ad Corinth., 4, dicitur : *Nolite peccare*, etc., 2, Petri : *Hoc autem facientes non peccabitis* : et alia sunt frequentia : unde Cyrillus, in Joan., c. 330, notat cum Christus dixit paralytico, Joan. 5 : *Noli peccare*, satis docuisse posse hominem recte et honeste operari, quod etiam tractat Bernardus, lib. 6, de Præcepto et Dispensatione. Denique hac de causa laudantur vita et actus multorum hominum in Scriptura, ut constat de Abrahamo, Job, et aliis, qui breviter numerantur ad Hebr. 11, et Ecclesiast., 44 ; est ergo hæc veritas evidens in Scriptura.

4. *Item ex Conciliis*. — *Item ratione*. — Secundo propter hanc causam definita est præsertim in Concilio Tridentino, sess. 6, can. 7, 25 et 26, et Leo X damnavit Lutheranam hæresim. Antiquiora vero Concilia de hoc expresse non tractant, quia nondum erat exorta hæresis, tamen id aperte supponunt, præsertim contra Pelagium definiunt posse hominem bene operari saltem per auxilium gratiæ, ut patet ex Milevitano, c. 3, et Arausiano II, præsertim, c. 21, 22 et 23. Et eodem modo inveniuntur multa testimonia Patrum scribentium contra Pelagium, præsertim Augustini et Hieronymi, de quibus legi possunt Roffensis, art. 31 et 32, contra Luth., et Vega, lib. 11, super Tri-

dent., c. 24. Ratio est fere eadem quæ adducta est, n. 2, in priori sensu quæstionis : nam etiam homo lapsus potest sufficienter ratione uti ad discernendum inter bonum et malum, nam si hoc non potest, nec humanam actionem efficere potest : stultum est autem dicere hoc non posse, quia habet integras vires naturales voluntatis et intellectus, et non semper a sensibus impeditur : unde in discursu et ratiocinatione naturali tantum potest, quantum si absque peccato et gratia in pura natura esset conditus, et tamen ultra hoc habet nunc vires et illustrationes gratiæ : ergo quantum est ex parte intellectus, habet quidquid sufficit ad bene operandum, sed ex parte etiam voluntatis habet libertatem naturalem, ut in superioribus ostensum est agendo de voluntario : et similiter habet etiam vires gratiæ prævenientis et adjutantis : nihil ergo in hoc statu illi deest quominus possit bene operari.

5. *Ad fundamenta hæreticorum in num. 1*. — Præterea fundamenta hæreticorum sunt falsa, nam illo præcepto, *diliges Dominum Deum tuum*, nihil impossibile homini lapsa præcipitur, sed substantia illius præcepti est ut Deum super omnia diligat, quod potest homo in hac vita præstare : non est autem necesse, ut vel maxima intensione diligat, neque ut perpetuo ac semper, neque ut omnia alia actio ab hoc amore procedat, sed solum ut illi non repugnet, ut iterum dicemus : hæc autem dilectio possibilis est homini in hac vita : sic enim 1, Joan. 2, dicitur : *Qui servat præcepta ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est : et eodem modo David, et alii sancti in Scriptura dicuntur quæsisse Deum in toto corde suo*, ps. 118, similiter præcepto non concupiscendi, non sunt prohibiti naturales motus, sed quod est in hominis potestate : quodque alibi dictum est, *post concupiscentias tuas nec eas*, nihil enim præceptum homini est impossibile : alias vel salvari non posset, vel sine observatione mandatorum salvari posset, contra illud Matthæi, 19 : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

6. *Ad loca Scripturæ prima pars responsionis*. — Ad testimonia autem Scripturarum, tria breviter dicenda sunt. Primum frequenter in eis locis sermonem esse de personis, et eorum vivendi ratione, non de singulis actibus : licet enim homines quantumvis justi multa bona faciant, tamen tot mala et peccata intermiscant ut merito dicantur justitiæ eorum sicut pannus menstruatus, in quo licet plures sint maculæ aliquid potest esse mundum : et hunc

sensum significavit Job illis verbis : *Si innocentem me ostendero, pravum me comprobabit*, quod alibi dixit Joannes : *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mentimur*, etc. ; et eodem fere sensu loquitur Gregorius, ut videre est apud eundem, loc. cit., cap. 2, 6 et 8.

7. *Secunda pars*. — Secundum est, etiam loquendo de personis sæpe loqui Scripturam per quamdam exaggerationem, præsertim quando loquitur de pravis et corruptis hominibus, in quibus tot sunt mala et peccata, ut licet interdum aliquid faciant boni, quasi nihil reputetur, quod maxime verum habet de iis qui de suis viribus et meritis præsumunt, de quibus potissimum videtur esse sermo in prædictis locis Job : et de iisdem etiam loquitur Gregorius. Est autem similis ratio de hominibus carnalibus, de quibus fit sermo, Genes. 6, et sic de aliis. Addi potest ex D. Augustino, lib. de Unit. Eccles., cap. secundo, interdum esse tantam multitudinem pravorum hominum, ut Scriptura loquens de tota communitate ita loquatur, ac si nullus in ea esset qui bene operaretur : et hoc modo ait Augustinus non obesse justis in medio impiorum constitutis, quidquid in ipsos ob multitudinem impiorum dicitur : plerumque enim sermo divinus hominum impiorum turbas ita arguit, ac si omnes tales essent : et similem regulam præbet Hieronymus, epist. 140, ad Damasc., de Filio prodigo.

8. *Tertia pars*. — Tertium est, etiam loquendo de singulis actibus comparativa quadam et metaphorica locutione : dici posse non esse in eis puritatem, si cum divina puritate et justitia comparetur : sicut dicitur Angelus *materialis* ad Deum comparatus, vel sicut dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus*, Matt. 19, quem locum ad hoc propositum bene ibi tractat Origenes, homil. 8, vel sicut Joannes Baptista dicitur *lucerna et lux*, sicut et Apostoli, Matt. 5, dicuntur *lux mundi* : et tamen comparatione facta ad Christum dicitur de Baptista Joanne 1 : *Non erat ille lux*, ut bene ibi Theophylus ponderavit : atque hoc modo facile erit servata proportione ad singula loca hoc applicare.

SECTIO II.

Utrum actus interior voluntatis sit formaliter bonus, vel solum causaliter ab actu exteriori.

1. *Exponitur quæstio*. — Cum constet dari actum humanum bonum, et actus humanus ex

interiori et exteriori componi possit, et uterque bonus denominetur, videndum consequenter est an bonitas illa, a qua actus voluntatis denominatur bonus, sit in ipso formaliter, ita ut ipsum intrinsece afficiat, vel sit tantum in exteriori, et inde denominet interiorem actum, et consequenter interior actus dicatur bonus, quia est causa exterioris actus boni, quod est esse bonum causaliter non formaliter. Ita enim de interioris actus bonitate sentire videtur Cajetanus, 1, 2, quæst. 20, artic. 2, resp. ad 2, idque explicat exemplo sanitatis et medicinæ, nam sanitas est in animali formaliter, et tamen medicinam, a qua efficienter dimanat, denominat sanum causaliter: *Sic ergo (inquit) una est bonitas ex objecto in actu exteriori, et in interiori, tamen in exteriori est formaliter, et manat efficienter ab interiori quem denominat causaliter*: unde non videtur Cajetanus hanc doctrinam universaliter tradere de omni actu interiori, sed solum de illo, qui est bonus ex objecto, non vero de illo, qui est bonus tantum ex fine extrinseco, ut colligi potest ex eodem, ibidem, dub. 4. Fundamentum hujus opinionis solum esse potest, quia ideo actus interior est bonus, quia efficit actum exteriorem bonum: et hoc sufficit ad bonitatem ejus: ergo non oportet in illo aliam bonitatem multiplicare. Confirmatur, nam in illo actu est bonitas, qui per se præcipitur, ut actus eleemosynæ, verbi gratia, interior vero solum quatenus potest esse necessarius ad causandum illum actum: ergo ille solum denominatur bonus ob hanc causalitatem.

2. *Notatio triplicis generis actuum interiorum.*—Hæc tamen opinio, mea sententia, nullo modo defendi potest nec generaliter, nec in particulari de aliquo actu interiori. Advertendum igitur inter actus internos quosdam versari circa objecta quæ non sunt actus hominis, sed res aliæ, ut amor Dei, amor vitæ: alios versari circa actus humanos, quos respiciunt ut objecta sua: et hi etiam possunt esse duplices: quidam qui non habent necessario conjunctam actualem causalitatem talium actuum, ut est simplex amor, seu complacentia circa eleemosynam: et in hoc ordine poni possunt omnes actus qui ex parte objecti habent aliquam universalitatem, vel ex parte circumstantiarum abstrahunt ab actuali executione, ut est propositum dandi eleemosynam, vel propositum jejunandi cras: alii vero sunt qui habent necessario conjunctam executionem, ut est actus qui est per modum usus activi, scilicet voluntas qua hic et nunc ita volo dare

eleemosynam, ut ex vi illius statim moveam manum ad exequendum.

3. *Prima assertio pro primo genere actuum interiorum.*—Primo ergo de primis actibus qui versantur circa objecta quæ non sunt actus humani, certa res est non posse esse causaliter bonos, sed formaliter. Patet, quia nihil causant, per se loquendo. Item amor Dei, verbi gratia, est bonus, non a bonitate quæ est in objecto: ergo ab alia, a qua ipse denominatur intrinsece et formaliter bonus. Minor patet, quia licet actus sumat conditionem, vel speciem suam ab objecto, non tamen tanquam a forma per se ac formaliter denominante actum, sed tanquam a termino illius habitudinis, quæ est in ipso actu, per quam talis denominatur: idem est de amore Dei, et de quocumque alio actu tendente in objectum bonum simile.

4. *Secunda assertio pro secundo genere actuum.*—Secundo de omnibus actibus internis, qui etiam versantur circa actus externos ut objecta, ita tamen ut illum actum non causent, certum etiam est non denominari bonos causaliter a bonitate actus externi, sed a propria bonitate quæ est in ipsis per habitudinem ad talem actum, seu objecta. Hoc etiam constat, quia illi actus sunt actu boni quando actu non causant: ergo jam tunc est eorum bonitas: bonitas autem exterioris actus tunc non fit ab actu interiori, neque est in re, sed in apprehensione, tantum ergo actus interior non est bonus formaliter ab illa bonitate. Dices, interdum posse aliquid denominari a forma non existenti, solum quia est causativum illius, ut patet de medicina, quæ dicitur sana priusquam effective sanet. Respondetur primo in actu interiori, de quo agimus, necessarium non esse non solum ut actu causet, verum etiam neque esse effectivum actus exterioris: potest enim esse simplex complacentia, vel delectatio cum proposito nihil exterius operandi. Deinde etiam si demus esse effectivum exterioris actus, non ideo tamen bonus est interior actus, quia est effectivus exterioris, sed potius e contrario, quia bonus est, ideo est effectivus, sive excitans ad actum exteriorem bonum, ut magis ex dicendis constabit. Denique quando res denominatur analogice talis a forma extrinseca, et non existente, revera realiter, et in se, non est simpliciter talis, qualis formaliter potest constitui res aliqua per illam formam actu existentem et informantem: at vero hic actus interior, de quo agimus, statim ac existit, est in se et realiter bonus, adeo ut reddat bonum, habentem, et formaliter ac realiter rectum seu

studiosum: ergo est bonus in se reali aliqua bonitate, et non per bonitatem actus exterioris apprehensi.

5. *Tertia assertio pro tertio genere actuum.*—Tertio hinc concluditur etiam illum actum interiorem, quia actu necessario causat exteriorem, non denominari bonum tantum causaliter a bonitate actus exterioris, sed formaliter a bonitate quam in se habet per habitudinem ad actum exteriorem: atque ita in universum omnis actus interior habet bonitatem in se ipso, vel saltem per denominationem ab aliquo actu interiori, et non ab exteriori. Quæ sententia, ut existimo, est communis omnium theologorum, et sumitur ex D. Thoma 1, 2, quæst. 20, præsertim art. 3 et 4. cont. Gent., cap. 10, et ibi Ferrariensi et ex aliis theologis, in 2, distinct. 42, ubi Bonaventura et Richardo, a. 4, q. 1, Durando, q. 1, Gabriele art. 1 et 2, Ocham in 3, q. 10, et quodl. q. 20 et quodl. 13, q. 41. Ratio imprimis sumi potest ex dictis, nam sicut actus interior non causans exteriorem bonum, si versetur circa objectum bonum, inde habet in se bonitatem: ita actus interior causans exteriorem, respicit illum ut objectum, quia necesse est omnem actum internum habere aliquod objectum: hic autem nullus est aliud: ergo etiam hic actus habet per habitudinem ad suum objectum suam in se bonitatem formalem. Probatur consequentia, tum quia est eadem ratio: tum etiam, quia causalitas subsequens non potest priorem habitudinem impedire, præsertim quia hæc causalitas est posterior, et supponit priorem bonitatem, seu habitudinem ad actum ut ad objectum, sicut prius est esse, quam causare illum, ideo enim causat illum, quia vult illum, et tamen ex vi primæ et essentialis habitudinis, quam habet præcise ea hoc quod est actus circa tale objectum, est rectus et studiosus: tum denique, quia si per possibile, vel impossibile contingeret actum exteriorem non sequi, verbi gratia, Deo non concurrente, eandem omnino bonitatem haberet ille actus interior. Quod etiam confirmari potest ex actibus ipsis interioribus inter se comparatis, nam amor est causa desiderii, vel intentionis, et intentio electionis, et tamen nullus dicere potest actum quia est causa, esse bonum a suo effectu: sed si interdum unus potest denominari ab alio, potius effectus denominatur a causa, seu actus imperatus ab imperante, quam e contrario, ut infra videbimus: qua ratione etiam actus exterior ut actus denominatur bonus ab interiori, loquendo de

bonitate formali, ut nunc loquimur: unde etiam fit, ut voluntas non agendi exterius, sit interdum formaliter et positive bona, cum tamen in carentia illa exterioris actus nulla sit propria, formalis, ac positiva bonitas. Tandem actus interior per id quod in se est, habet eam perfectionem, ratione cujus potest constituere operantem bonum, quam perfectionem non habet in se actus exterior: cujus signum est quia actus interior per se solus sufficit ad constituendum hominem formaliter bonum, non vero exterior, ut suo loco dicemus, et statim etiam indicabimus.

6. Meque existimo Cajetanum omnino sensisse contra prædictam doctrinam, nam illa, quæst. 20, art. 3, docet bonitatem quam interior actus habet ab exteriori ut ab objecto, seu fine intrinseco suo, non esse denominationem extrinsecam ab actu exteriori, sed esse aliquid in ipsomet actu interiori: quod optime probat a simili ex voluntate alterius finis honesti, qui non sit actus humanus. Addit tamen Cajetanus quippiam, in quo fundat multa dubia, quæ in illis articulis obscurissime tractat, quæ revera non erant necessaria, nec nituntur solido fundamento. Dicit ergo actum interiorem, qui est intrinsece, et in se bonus ab actu exteriori ut objecto, posse etiam denominari extrinsece bonum ab eodem actu exteriori ut actus est, et in hoc differre talem actum internum, qui est causa exterioris, ab eo qui non est causa. Sed hic modus denominationis solum videtur excogitatus ad agendam rei difficultatem, quia revera talis denominatio non est necessaria. Primum enim nulla causa denominatur proprie bona a suo effectu: deinde bonitas quam exterior actus habet ex se, non est bonitas formalis, sed objectiva solum: ergo non potest denominare formaliter bonum actum internum, etiam extrinsece, sed ad summum denominare bonum objective analogice, et secundum quid. Item actus exterior secundum suam bonitatem objectivam, non solum ab interiori bono, sed etiam a malo causari potest, nam actus eleemosynæ exterior, etiamsi a mala voluntate, vel intentione procedat, non amittit suam bonitatem objectivam, et tunc ille actus non dicitur bonus causaliter: ergo ex hac causalitate non sumitur talis denominatio.

7. Ad fundamentum vero, in principio positum respondetur istam causalem, *actus interior est bonus, quia exterior est bonus*, in eadem forma habere locum in omni actu interiori voluntatis respectu sui objecti, vel finis: amor enim Dei est bonus, quia Deus est bonus, et